



# The Holy See

---

PIUS PP. X

LITTERAE

***QUIBUS PIUS PP. X PRAESULIBUS AMERICAE SEPTENTRIONALIS  
DE FILIALIS DEVOTIONIS OBSEQUIO GRATES AGIT\****

DILECTO FILIO NOSTRO  
IACOBO TIT. S. MARIAE TRANS TIBERIM  
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI GIBBONS  
ARCHIEPISCOPO BALTIMORENSIUM

*Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.*

Americae regionem, inter praestantes humanitate gentes multiplici re commendatam Nobisque apprime caram, tuae Nobis cariorem reddidere litterae, quas nomine Praesulum Foederatarum Americae Superioris civitatum haud ita pridem dedisti. Affectos enim istic mirifice in Romanum Pontificem esse animos, quamquam et saepe alias, et a te ipso etiam, quum primum fuimus ad Petri Sedem evecti, didici mus, novo tamen placuit constitisse argumento. Quod communi anni conventus voto gratulari Nobis dignitatem sacerdotii summam voluistis, id humanitati plane congruit comitatique vestrae. Ecclesiam autem quum simili prosequendam gratulatione putastis, quippe cui eum Christus Vicarium praefecerit qui instaurare omnia in eodem Christo constitutum habeat, id enimvero non sine obsecratione ac prece vos fecisse censemus, ea Nobis e coelo subsidia impertiri, e quorum vi debet proficiisci tota, si quae erit unquam in Nobis, sollicitudinis Nostrae efficacitas. Vobis demum ipsi Satis ea de re gratulatis, quod nempe propensissima Nostro in animo insit erga Americanam gentem voluntas. Hunc porro sensum, e quo tam multum voluptatis, perinde quasi e vestri argumento amoris luculentissime, cepimus, afficere non modo laude, sed confirmare etiam gaudemus. Quam enim observantiam caritatemque catholicus Americae populus, optimorum exemplo Praesulum obsecutus, exhibendam Nobis, pro filiorum officio, censuit, eam studiosissima voluntate rependimus. Nostrae vero impertienda

demonstranda equé in vos benevolentiae si assidua se occasio praebebit, erit Nobis id ad laetitiam, plurimumque procul dubio conducet ad necessitudinem arctius devinciendam, quae illustri vestro industrioque populo cum Apostolica Sede intercedit. Testem interea animi Nostri coelestiumque munerum auspicem Apostolicam benedictionem tibi, collegis tuis, universisque dioecesum vestrarum fidelibus peramanter in Domino impertimus.

*Datum Romae apud S. Petrum die XIIII lunii anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri primo.*

**PIUS PP. X**

---

\*AAS, vol. XXXVII (1904-05), pp. 357-358.

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana